



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Pontius M. 14. Maii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

S. PONTIUS M. 14. Maii.

PONTIUM vides, cujus opera factum est, ne millesimus Romanæ urbis annus dæmonibus consecraretur; quod futurum iidem, PONTIO adhuc matris ventre abdito, permissu Numinis, agnovērunt. Iulia, id mulieri nomen fuit, Marci senatoris Rom. uxor, eo gravida, delubrum subierat, cum repente Flamen furiis incitatus, concepta mitra, hostem Deorum adesse exclamavit, uterum detestans in perniciem Iovis fœcundum. Iulia vaticinatione perculsa, fœtum nequidquam depellere abortu institit, nato etiam vim allatura, nisi pater vetuisset; utique enim Diis ad unum puerum perdendum satis fore virium. Contigit deinde, PONTIUM, audito Christianorum carmine, quo Deorum vanitas irridebatur, Religionis amore capi; haustum etiam patri instillavit, purgataque à Deorum larvis domo, primum id formidatæ à dæmonibus indolis specimen dedit. Patris mortui dignitate adita, Philippis Imp. familiari usu conjunctus est, qui cum in millesimum urbis annum sacrificium Diis pararent, ab ea mente PONTII oratione deducti, Christo nomina dederunt, ejusque Numini Romanum Imp. dedicarunt. Valeriano & Gallieno imperantibus, accusatus impietatis

312 VITÆ SANCTORUM. 14. Maii.
PONTIUS, & equuleo impositus,
machinam precibus rupit. Urfos in se in-
citatos cicuravit, rogam extinxit, gladio
denique cervices subjecit, usitatâ San-
ctorum modestiâ, quorum plerique ca-
pite imminuti sunt, superbis puto insti-
tuendis hac potissimum parte indomitis.

Ex Surio.

*Cum homines quotidie immaturo præ-
venti rapiantur interitu, quid restat, nisi
ut hoc brevi puncto, quo vivimus, lapsura
quæque velut jam lapsa despicere, & ad
ea, quæ permanent, pleno fervida mentis
studeamus desiderio festinare? S. Petr.
Dam. op. 12. cap. 13.*

SS. VICTOR & CORONA MM.

14. Maii.

Auspiciatissima nomina suosq; trium-
phos loquentia, VICTOREM &
CORONAM damus. Qui tamen sortitò
hæc accipis, laboriosa felicitatis omen
accipere te memento; nam cum Victore
quis Hercules se componat? Age nume-
remus Magni Herois labores. I. Digitos
articulatim elidendos sine gemitu præ-
buit. II. In Fornace accensâ triduum de-
fedit. III. Carnes veneno adipatas con-
coxit. IV. Nervos distendi, solviq; com-
pagem corporis ridens tulit. V. Oleum
fervefactum eodem quo gelidam vultu
hausit, VI. Suspensus facibus ardentibus
instu-